Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2081
Quelle:
Copyright:

dam, germanice, ut ait *Autor anonymus* in *Praef.* primum conſcripta, dein ad quorundam petitionem latine reddita. Ingreſſus eſt: *Ad laudem Dei omnipotentis, digniſſime Matris ſue intemerate virginis Marie ac tocius celeſtis exercitus, pro confortacione fidei criſtiane ac ſuppreſſione et deletione, mediante diuino auxilio nephandiſſime hereſis ſiue ſecte, que ante tempora per quendam hereſiarcham Wicklef nominatum in Anglia primordium ſumpſit et poſtmodum, quando ibidem conuenienter deleta fuit, in Bohemia recenter per Hereſiarcham nominatum Johannem huſz renouata, et proch dolor nimium eſt dilatata* &c. Suadet porro Autor: vitare ſingularitates, e quibus diſcordiae, vanitas, ſuperbia, judicii proprii tenacitas naſcantur; reſtringere libertatem eccleſiaſticam et exemtionem cleri, quam ait *a principibus ſecularibus potius, quam a Romanis pontificibus uel canonicis Juribus introductam*; refrenare cupiditatem, luxumque Eccleſiaſticorum, nam, eo teſte, *modice reputationis homines plures eccleſias et prebendas retinent, et ex hoc raro aliquis Rector eccleſie reſpicit populum ſibi commiſſum, ſed ſolent ponere ad curam populi actualem pauperes presbiteros indoctos, paciſcentes cum eis de prouentibus usque ad extremum quadrantem, moranturque ipſi Rectores in magnis ciuitatibus, nichil de populo ſibi commiſſo curantes* &c.

V. *fol.* 29. *Manuale de Arte praedicandi*, diverſum ab eo, quod *Cod.* CLXXIX. exhibitum fuit. Inſcribitur: *Amantiſſimo viro Juſticie fautori amico ſuo precipuo Domino N.* Incipit: *Intra me dum tacitus conſiderarem* &c. Morem eſſe mittendi *pro principio noui anni donaria, formadia ſeu caſeos in mappis nitidis et candidiſſimis, poma gariophbolis ac rebus ceteris ſtipata, varia clynodia in ladulis et ſcatulis* &c. ſe vero mittere hunc Tractatum, cujus initium eſt: *Verbum dei propter deum non propter queſtum, propter deum non propter denarium predicare volentibus artem predicandi et copiam loquendi in hoc manuali opuſculo relinquere cupientes* &c. Obvia quaeque, Quis, Quid, Ubi, Quomodo, Quando.

VI. *fol.* 36. *Conſtitutio Pontificia*, ne convivia in monaſteriis celebrare teneantur, quando perſonae recipiuntur ad regularem obſervantiam. Incipit: *Ad perpetuam rei memoriam. Ne in vinea domini noſtri licet inſufficientibus meritis noſtre commiſſa cuſtodie naſcentes vepres et ſpine adeo invaleſcant* &c. Subſcripta eſt: *Datum Rome apud ſanctum petrum II. non. aprilis Pontificatus noſtri anno Septimo.* At quo *Chriſti?* Varia *Bullaria* incaſſum conſului.

VII. *fol.* 37. *Sermones* quidam, ad quorum calcem legitur: *Expliciunt quedam omelie beati auguſtini quarum alique ad clerum*

relique